



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 9011826X**

§. 12. Mors Benedicti XII. Clemens VI Papa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

giosis Mendicantibus episcopatus ven- Sæcul. XIV.  
dant. Sic multi magnas exegerunt pe- A.C. 1342.  
cunias; & multis diaconatum ac facer-  
dotium pro pecunia contulere in curia  
Romana. Exagitant tamen Armenos  
Romanum in Baptismate ritum, Roma-  
nam tenentes fidem.

§. XII.

*Mors Benedicti XII. Clemens VI  
Papa.*

Sequente anno 1342 Papam Benedictum  
XII vetus in cruribus malum, unde  
manantem plus solito humorem sistere  
volebant Medici, & quædam symptoma- *Baluz vita*  
ta consumpsere die S. Marci 25 Aprilis: *to. I. p. 220.*  
postquam federat septem annis, quatuor *336. 797.*  
mensibus, sex diebus. Humatus est in *Papeb. co-*  
cathedrali templo Avenionensi; ubi se- *nat. p. 53.*  
pulchrum ejus etiamnum visitur. Pluri- *Rayn. 1342.*  
ma reliquit scripta; quorum pars maxi- *n. 4.*  
ma non est subjecta prælo.

Sacra Sedes undecim solum dies va- *Cave. app.*  
cabat. Nam 7 Maji electus est Petrus *p. 21.*  
Rogerius Cardinalis de S. Nereo, ac sese  
dixit Clementem VI. Sub annum 1292 *Bal. p. 243*  
nobili ex familia natus in arce Malomon- *280. 289. 835*  
tana dioœceseos Lemovicensis patrem ha-  
buit Petrum Rogerium Roseriae Domi-  
num. Decem annorum puer erat, cum  
venit

Sæcul. XIV.  
A.C. 1342.

venit in Arvernianam abbatiam nomine Casam Dei. Amplexus ibi regulam S. Benedicti, & postea Parisios ad studia litterarum missus evasit Doctor Theologiæ annum agens tricesimum. Per Cardinalem Petrum Mortemarum, cui loco filii erat, ad Romanam curiam, nempe Avenionem accersitus a Papa Joanne XXII Nemosensem prioratum ad S. Baudelii, tum rogatu ejusdem Petri plurimique Cardinalium abbatiam Fiscaninam, deinde Attrebatensem episcopatum obtinuit. Quo munere fungentem Rex Philippus Valesius suum in consilium senatumque supremum admisit, & signorum regiorum Custodem fecit. Postquam Guilielmus Melodunensis 27 Oct. 1329 obierat, cooptatus in Archiepiscopum Senonensem, jura Cleri defendit contra Petrum Cuniarium. Decimo quarto Decembris anno 1330 Rothomagum translatus fuit, cum esset Parisiis Sorboniæ domus Provisor: ut appareat ex litteris publicis anno sequente scriptis.

Gall. Chr.  
to. I.  
Sup. lib. 94.  
§. 3.  
Bal. p. 836.  
Duboulat  
p. 230.  
Sup. lib. 94.  
§. 61.

Denique a Papa Benedicto XII sacram accepit purpuram mense Decembri 1338. Benedicto rebus humanis erepto Cardinales numero septendecim in Avenionensi palatio die dominica 5 Maji anno 1342 conclave ingressi, die Martis septima mensis in vigilia Ascensus Domini elegerunt Petrum Rogerium, Die Pentecostes

costes 19 ejusdem mensis in templo Do- Sæcul. XIV.  
A.C. 1342.  
minicanorum coronatus est magna cere-  
monia : cui aderant Joannes Dux Nor-  
manniæ, Gallorum Regis filius natu ma-  
jor, Jacobus Borboniæ, Philippus Bur-  
gundiæ Duces, Humbertus Delphinus  
Viennensis, plurimique Franciæ ac Vas-  
coniæ Optimates. Papa Clemens tunc  
annum agebat quinquagesimum. Mox  
scriptam 21 Maji epistolam, suæ dignita- p. 853.  
Rayn. 1342.  
n. 7.  
tis & impositæ sibi coronæ indicem, ad  
Regem Philippum Valesium aliosque Prin-  
cipes Christianos, & similem ad Præfules  
pro more circummisit.

Hoc anno Nuncios, qui consilia pa- n. 12. 16.  
cis Franciam inter & Angliam agitarent,  
& Flandros ad Regem Philippum redu-  
cerent, atque Legatum Lombardiam pa-  
caturum misit: sed præter aliquas indu-  
cias nihil uspiam effecit. In exordio sui Bal. p. 284.  
311.  
pontificatus edidit litteras, quibus gra-  
tias spondebat cunctis Clericis pauperi-  
bus, qui se duos intra menses sisterent:  
& Avenionem venerunt tanto numero, ut  
centies mille recenserentur. Eodem  
tempore multas præfecturas sacras &  
abbacias reservavit, collegiorum, cœno-  
biorumque electiones pro nullis habens:  
& cum essent, qui dicerent, non sic egis-  
se antecessores ejus, respondisse dicitur:  
Nostri antecessores nesciebant agere  
Papas. §. XIII.

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXIII.* M m'